

tia passiva entitative et materialiter, tales actus deberet suscipere. Cum autem solum detur ad sacramentaliter suscipiendum, imperfecte et reductive est potentia, et solum ministerialiter, quatenus movet se aliquis ad recipiendum ea, quæ sunt divini cultus, tamquam minister et instrumentum animatum.

CXXXVI. Quinto arguitur de characterem sacramenti ordinis: Ille enim nec est potentia activa, neque passiva: ergo. Quod non sit potentia passiva, omnes concedunt, cum non detur ad recipiendum, sed ad agendum: quod vero non sit potentia activa, probatur, quia nec est activa respectu aliorum sacramentorum, neque respectu effectus sacramentorum, neque respectu transsubstantiationis in eucharistia; ergo respectu nullius effectus est activa potentia. Antecedens probatur, nam in primis character ordinis in sex inferioribus ordinibus usque ad diaconatum, non est potentia activa circa aliquod sacramentum, cum nullum possit ministrare efficiendo ipsum; character autem sacerdotalis non est potentia activa sacramentorum, quia in sacramentis solum est invenire actionem sensibilem, et rationem sacramentalem; sensibilis autem actio sufficienter fit per organa corporis, et non debet fieri per characterem. Quoad rationem vero sacramentalem non oportet ponere potentiam physicam activam, quia sacramentalis ratio solum addit super actionem sensibilem significationem, seu rationem signi, quæ est relatio rationis, cum sit signum ad placitum: ergo propter hoc non debemus ponere physicam potentiam.

CXXXVII. Et præterea, quia aliqua sacramenta (ut baptismi et matrimonii) possunt fieri a non habente characterem: ergo ad efficiendum sacramenta sacramentaliter non

oportet ponere characterem. Similiter non est potentia activa respectu effectus sacramentorum (scilicet gratiæ) nam character non potest esse qualitas ex natura sua effectiva gratiæ per actionem transeuntem in aliud subjectum, nam impossibile est quod ex natura sua per propriam actionem efficiat gratiam, alias daretur causa principalis creata effectiva gratiæ, essetque talis qualitas ponenda in Christo Domino, cum sit excellentissima, et supra ipsam gratiam; si autem instrumentaliter tantum produceret gratiam, non posset dari per modum permanentis, cum instrumentum non constituatur in ratione instrumenti ad causandam gratiam per aliquam virtutem permanentem.

CXXXVIII. Si vero dicatur characterem esse potentiam activam ad producendam gratiam solum obedientialiter, quia scilicet elevari potest a Deo ut instrumentum ad producendam gratiam, hoc quidem verum est, sed hæc ratio non est specialis in characterem, sed transcendens in omni creatura; quælibet enim elevari potest ut producat gratiam, non tamen propterea omnis creatura est in genere potentiæ activæ.

CXXXIX. Et præterea, quia character sacerdotis non influit in gratiam, sed sacramentum, quod conficitur per characterem, hoc influit instrumentaliter in gratiam. Unde si aliquis non habens characterem ordinis ministret baptismum aut matrimonium, causat gratiam mediante sacramento, et non mediante characterem, et tamen eodem modo causatur gratia in illo sicut si conferretur a sacerdote.

CXL. Denique character ordinis non est potestas activa respectu transsubstantiationis; tum, quia virtus transsubstantiandi est solum

in ipsis verbis, et minister non habet aliam actionem nisi prolationem verborum, ut dicit S. Thomas infra, quæstione LXXVIII, articulo primo; tum, quia eodem modo se habet sacerdos ad transsubstantiationem, sicut ad dandam gratiam per absolutionem; in absolutione autem non ipse sacerdos, sed verba prolata sacramentaliter operantur gratiam; tum denique, quia non datur qualitas ex natura sua operativa transsubstantiationis, sicut nec datur potestas activa miraculorum permanentem; respectu autem effectus eucharistiæ, qui est gratia, sacerdos solum se habet ut applicans sacramentum jam factum, non vero ipsam gratiam efficit, sed sacramentum quod applicat.

CXLI. Ad principale argumentum respondetur, characterem ordinis ad omnia illa tria esse potentiam activam. Et ad primam improbationem, quoad id quod dicit de characterem sex inferiorum ordinum usque ad diaconatum, dicimus quod characteres illi sunt imperfecti in ratione characteris, et non habent statum potentiæ activæ, sed solum dant potestatem ad ministrandum ex officio sacerdoti; et ita sunt quasi in via ad habendum characterem sacerdotalem, qui proprie est potentia activa respectu sacramentorum. Quoad id vero quod dicit de characterem sacerdotali, dicimus quod est potentia activa sacramentorum, non secundum id quod materiale est in sacramentis, sed secundum id quod sacramentale et formale; ita quod habens characterem illum facit illam actionem, non solum materialiter et entitative, sed etiam sacramentaliter: et quia totum hoc (scilicet actio sacramentalis) est aliquid reale, ideo ad totum illud datur potentia physica activa sub modo sacramentali.

CXLII. Et quando dicitur, quod

præter actionem sensibilem non est in sacramento nisi significatio ad placitum, dico esse ibi significationem ad placitum et simul virtutem divinam, quæ sacramento inest ad causandam gratiam; et simul compositionem artificialis sacramenti, quæ est unum signum sacramentale: et denique est actio illa sacra, et specialiter protestativa fidei, et specialiter participans virtutem passionis Christi; et totum hoc (quod est aliquid reale et excellentissimum in illa ratione) communicatur a Deo ipsi sacramento media actione ministri, ut a characterem procedit. Ipse enim motus et actio, qua movetur a ministro materia sensibilis, non solum habet procedere a virtute ejus motiva, sed etiam a characterem, ut actio illa non solum sit materialis, sed etiam sacramentalis, et habens omnes illas excellentias dictas.

CXLIII. Ad id vero quod dicitur de ministrante sacramenta baptismi et matrimonii, dicimus quod sicut media actione talis ministri confert Deus illi actioni sacramentali rationem sacramenti et virtutem, sic eam communicat medio characterem ministri ad id ex officio deputati; et licet possit etiam conficere sacramentum non habens characterem, tamen quia character datur ut ex officio sacramentum conficiat, ideo concurrere debet active talis character ad conficienda illa sacramenta in eo, qui facit illa ex officio, mediante characterem. Unde quia sine characterem aliqua sacramenta fiunt, non sequitur quod ad alia non concurrat character, vel ad illa quando fiunt ex officio. Melius dicitur, quod character non est potestas instrumentaliter primo et per se ad gratiam producendam, sed ad conficienda sacramenta valide, et per se primo in genere sacramentali, ita quod sine illo sunt nulla: hæc autem sacramenta conficiuntur

ut ministri Christi, et dispensatores mysteriorum; et hæc mysteria sunt objectum primo et per se hujus potestatis dispensativæ.

CXLIV. Ad secundam probationem respondetur, characterem habere se ut potentiam activam respectu gratiæ, seu effectus sacramentorum, non quia ad id habeat activitatem permanentem, sed debita est illi elevatio instrumentalis ad talem effectum faciendum, in quo differt a reliquis rebus, quæ obedientialiter elevari possunt, quia nulla creatura facit sibi debitam talem elevationem, ita ut quis possit ad voluntatem habere illam; per characterem autem ita facit quis sibi debitam elevationem, et concursus ad sacramenta et eorum effectum, ut quando voluerit possit illa uti. Non ergo se habet ut qualitas productiva gratiæ, quasi forma et causa principalis, sed ut instrumentalis potentia, non quia solum obedientialiter elevari possit, sicut res alia quæcumque; sed quia debitam facit sibi, et quasi connaturalem talem elevationem, ut quando voluerit, possit quis uti illa. Non tamen ponenda est in Christo talis qualitas, quia illa solum constituit potentiam ministerialem respectu Christi; et ideo ipsa non debet esse in Christo, sed aliquid illa altius et excellentius. Igitur habens characterem ad producendam gratiam, habet se sicut calamus præparatus, qui est instrumentum proportionatum et connaturale scribendi; aliæ autem res, quæ elevari possunt a Deo ad causandam gratiam, habent se sicut calamus non præparatus ad scribendum, vel sicut aliquid aliud ad id non proportionatum.

CXLV. Et hujus ratio est, quia Christus est fons gratiæ, et principium sanctificativum omnium. Unde illi qui habent characterem Christi, id est, specialiter ab ipso præ-

parati sunt ut ministri distribuendæ gratiæ, habent etiam quasi connaturaliter et proportionate dare gratiam, sicut ministri Christi, qui est fons gratiæ; ac ideo sicut non convenit aliis rebus dare gratiam sicut humanitati Christi, sic nec convenit aliis sicut habentibus characterem Christi. Licet enim Christi humanitas solum obedientialiter concurrat ad productionem gratiæ, non tamen eo modo solum quo lapis, vel alia res ad id elevabilis, sed quasi connaturaliter habet hoc ex unione ad Verbum: *Ut de plenitudine ejus omnes accipiamus*. Hoc ergo quod ipse habet in plenitudine, habet sacerdos in ministerio per characterem.

CXLVI. Unde sacerdos habet se sicut minister, seu instrumentum animarum, quod confert gratiam non solum tamquam instrumentum pure efficiens ex motione, sed efficiens colendo, seu faciendo ea quæ sunt cultus divini; et ideo requirit potestatem, qua possit facere signa protestativa cultus hujusmodi; facit autem ea quæ sunt cultus non sub ratione morali, et moralis virtutis, sed sub ratione cooperatoris et ministri Christi, 1 ad Corinth. iv: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*: habet ergo pro objecto ista potestas rationem mysterii seu sacramenti Dei. Moralitas autem hujus cultus pertinet ad virtutem religionis: *Hic jam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*, ibidem.

CXLVII. Ad ultimam probationem respondetur, quod virtus in verbis transsubstantiationis derivatur a Christo mediante characterem ministri. Unde et minister nihil aliud facit in hoc sacramento, quam proferre verba in persona Christi, ut dicit S. Thomas citatus. Sed quod in persona Christi practice et efficaciter ea proferat, habet ex characterem, quod non potest facere qui charac-

terem non habet. Et ita S. Thomas non negat quod minister medio characterem in persona Christi proferat efficaciter ea verba, sed solum ponit differentiam inter ministerium hujus sacramenti et aliorum, quod in hoc loquitur minister in persona Christi, et efficaciter habet solum prolationem verborum: in aliis autem sacramentis habet proferre etiam in propria persona, ut cum dicit: *Ego te absolvo*, etc. aut: *Consigno te signo crucis*; vel deprecative: *Per istam sanctam unctionem*, etc.

CXLVIII. Similiter in absolute danda, non solum verba a sacerdote prolata, sed ipse etiam sacerdos per characterem verba proferens causat gratiam, sicut in eucharistia sacerdos per characterem proferens verba transsubstantiationis. Nec propter hoc dicimus, quod detur qualitas ex natura sua efficiens transsubstantiationem, sed solum ministerialiter, sicut et alia sacramenta; et eorum effectus ministerialiter character operatur, quatenus est qualitas faciens debitam, et quasi connaturalem elevationem. Et ita quando S. Thomas in iv, dist. viii, quæst. ii, art. iii ad nonum dicit, quod: «*Virtus instrumentalis sacerdotis est major et dignior, et permanet; virtus autem verbi transit*,» non loquitur de virtute sacerdotis, quæ sit actualis elevatio, sed de virtute elevabili, Respectu vero gratiæ, quæ datur per sacramentum eucharistiæ, ipse sacerdos non se habet ut active conferens, sed ut applicans sacramentum jam factum. Unde et sanguinis dispensatio olim diaconis committebatur, et modo potest sacerdos hostiam ab alio consecratam porrigere, qui tamen tunc non operatur active gratiam illam.

CXLIX. Quod si quæras, quæ actio est illa, quam character habet in producendo effectum sacramen-

torum, vel ipsa sacramenta, si quidem exterior actio non potest provenire ab interiori qualitate nisi mediante actu interiori; character autem non producit interiorem actum, sed ille solum producit a voluntate, aut intellectu mediantibus suis habitibus respondetur, quod character non habet actum sibi præcise et formaliter correspondentem, sed habet tribuere vim intellectui, ut actus sacramentales practice producat cum efficacia quadam, et vi sacramentali, quam non habent ab intellectu non habente characterem. Facit ergo character ut actus illi non solum habeant formalem rationem intellectivi et cognoscitivi, sed etiam sacramentales sint, id est, vim et efficaciam sacramentalem habeant, quod quidem aliquid reale est, saltem ut modus.

CL. Sexto arguitur de characterem confirmationis: Nam ille nec est potentia activa, nec passiva: ergo. Quod non sit passiva probatur, quia minus requiritur ad suscipienda alia sacramenta, vel effectus sacramentorum, quam character baptismalis; ergo eisdem argumentis, quibus probatum est non esse characterem baptismalem potentiam passivam, etiam probatur de characterem confirmationis. Quod vero non sit potentia physica activa patet, quia si esset potentia physica activa, maxime ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei; istæ autem actiones non sunt physice a characterem, sed ab habitu fidei vel charitatis, vel fortitudinis, etc. cum auxilio gratiæ ad peculiariter efficiendum hos actus: ergo non apparet quomodo ad id physice concurrat character ut potentia,

CLI. Confirmatur primo, quia character confirmationis non potest comparari ad has actiones ut potentia, sed ut habitus infusus, si qui-

dem non datur ad simpliciter profitendum fidem sed ad melius profitendum, id est, sine formidine et rubore; nec simpliciter requiritur ad valide suscipiendum sacramentum ordinis, vel matrimonii, sed ad melius recipiendum. Ut autem quis firmiter profiteatur fidem, et melius suscipiat sacramenta, non requiritur potentia, sed habitus.

CLII. Confirmatur secundo, quia sicut habitus fidei est determinatus ad bonum, quia datur ad credendum supernaturaliter, ita ad firmiter credendum et profitendum fidem supernaturaliter dabitur habitus determinate inclinans ad bonum, et non indifferenter.

CLIII. Respondetur ad principale argumentum, characterem confirmationis dari ut potentiam passivam respectu sacramentorum, quæ præsupponunt talem characterem, ut recipiantur apte et congruenter, cum ad patiendum non ponatur habitus; et etiam respectu gratiæ sacramentalis confirmationis, et specialis illius auxilii, quod correspondet confirmato, et non nisi medio characterem subjectatur in confirmato, absolute loquendo. Est autem potentia activa ad profitendum firmiter fidem, non firmitate proveniente ex virtute fidei, et ejus intentione ac perfectione, sed proveniente ex eo quod est minister Christi in professione sui nominis, et in pugnando contra hostes fidei. Quod enim faciat hoc ex officio, dicit firmitatem peculiarem, quæ non elicitur a virtute fidei, sed elicitur ab isto ut ministro ad id peculiariter deputato; et ideo sacramentaliter et ministerialiter habet ad id vim, quæ non habetur ex vi fidei.

CLIV. Firmitas ex officio est firmitas ex potestate colendi Deum cultu christianitatis, seu configurativo Christi, quod incipit in baptismo, quo regeneratur homo et configura-

tur morti Christi, ut dicitur ad Romanos sexto; perficitur autem et roboratur in confirmatione, qua quasi adolescit in vita christiana, non quantum ad gratiam tantum, sed etiam quantum ad rationem cultus divini. Ordinantur enim sacramenta et ad remedium peccati per gratiam, et ad cultum Dei per characterem, ut ait S. Thomas in ista questione art. vi. Unde vita christiana, quæ per sacramentum datur, assimilari debet vitæ naturali, non solum in effectu gratiæ, sed in effectu cultus. Etenim quod elicitur a fide, elicitur ut a forma causante ad modum causæ principalis dignum modum habendi se erga res divinas credendas, et professionem earum; et quod hoc facit quis firmiter et intensius, tamquam causa principalis, hoc ab habitu provenit physice; quod vero aliquis profiteatur fidem firmiter firmitate sacramentali, id est, tamquam minister ad id deputatus, et solum ministerialiter ad hoc deserviens, hoc non provenit ab habitu, sed physice provenit a potentia sacramentali, quæ est character.

CLV. Et bene stat, quod idem materiale quod attingitur ab uno principio, possit sub alio modo attingi pertinente ad altius et distinctum principium, et tunc exigit diversam potentiam, sicut coloratum ut attingitur a visu, vel ut a sensu communi; sic ergo professio fidei ut attingitur a formali ratione habitus fidei, fit ab homine ut a causa principalis; ut autem attingitur a ministro ex officio ad id deputato, attingitur ministerialiter, et secundum aliam rationem principii, quia non ut causa principalis, sed instrumentalis et ministerialis id facit.

CLVI. Ad primam confirmationem respondetur, quod character confirmationis datur ad firmiter confitendum sacramentaliter, non autem ad

firmiter habitualiter, seu quasi ex intensione; firmitas autem sacramentalis et ministerialis non debet ab habitu provenire, sed ab officio peculiariter designatur a Christo confirmatus per characterem. Unde potest confirmatus ex vi talis officii adhuc exercere illud, et profiteri fidem indigne, ut puta ex motivo vanæ gloriæ, vel in peccato existens, et in ipso actu peccando propter pravum motivum; qui tamen actus ab habitu supernaturali fidei elici non potest, juxta probabiliorum opinionem, quæ tenet quod habitus supernaturalis non potest concurrere ad opus peccaminosum; et tamen ad substantiam illius professionis concurrat character; indifferenter ergo se habet, et ad modum potentiæ in professione hac quæ fit ex officio, et non sicut habitus fidei. Unde character in tali professione habebit se respectu habitus fidei, sicut manus errans in scribendo respectu habitus artis; habitus enim artis non influit in talem formationem litterarum, influit tamen manus et calamus.

CLVII. Et præterea dicimus, quod habitus fidei, etiamsi concurreret ad professionem, quæ fit ex vana gloria, tamen ipsa non respicit verum practicum, cui omnino extrinsecum est fieri propter vanam gloriam. At vero character per se practice respicit professionem hanc, ut cultum Dei sacramentalem, cui per se debebatur quod religiose fieret; et ideo si non inclinatur ut religiose fiat, sed indifferenter se habet in propria materia, non est determinatus ad bonum; et sic habet se ut potentia, et non ut habitus.

CLVIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod ad firmiter credendum, et profitendum habitualiter, et ut causa principalis, datur habitus; ad firmiter autem profitendum sacramentaliter et ministerialiter,

seu ratione officii, non habitus datur, sed potentia. Vide S. Thomam infra quæst. LXXII, art. v, et in iv, dist. VII, quæst. II, articulo primo, ubi ait, quod ad confitendam fidem in ordine ad se, et ad propriam salutem non requiritur character, seculus ad confitendam fidem ministrando aliis ejus notitiam sine erubescencia, et in ordine ad bonum publicum, non privatum per rationem ministri.

## DUBIUM TERTIUM.

UTRUM CHARACTER PONATUR IN SPECIE POTENTIÆ DIRECTE VEL REDUCTIVE?

*Conclusio est:*

Solum reductive pertinet ad speciem potentiæ.

CLVIX. Hæc est S. Thomæ in præsentem articulo, ubi concludit dicens: « Et ideo character non est proprie in specie aut genere, sed reductivus ad secundam speciem qualitatis. » Ratio autem sumitur ex imperfectione hujus potentiæ, quæ solum datur ad ministrandum, et non ut principium operationum primo et per se, sed secundario; ac adeo non per se primo pertinet ad speciem potentiæ (quæ est principium agendi) sed secundario, et reductive. In tantum enim dicitur potentia, in quantum importat principium operationis, vel passivum, vel activum. In hoc enim consistit ratio potentiæ, quod per modum principii simpliciter respiciat operationem; et non per modum convenientis aut disconvenientis, seu determinatæ rationis, aut habitus.

CLX. Illud ergo per se et directe pertinet ad rationem et speciem potentiæ, quod directe et per se est principium operationum, et sic se